

unitates utraque manu, sicut infantes in congeriem nucum, irruendo, plenoque digitorum utriusque pedis passu distantis computandis insultando, vulgus primum acquisivit, sed postea prolixitatis impatiens, uti verba, sic articulum, longo praxeos usu contraxit, abacum alterutri manui saltem infigendo, ut alteram liberam exerceat. *ψηφοφορῆαν*. Interim eruditi, verborum semel vulgò receptorum tenaces, denarium lenocinio sensuali decem digitorum primitus arreptum mordicis hucusque tenuerunt, velut in manus à naturâ traditum, eumque conquisitis ratiunculis, ut Oratores solent, quasi maximè perfectus & ex ipsa Tetracty ∴ natus esset, in coelum usque laudibus extulerunt, Thracibus ludibrio habitis, quod, pro decem, 4. elegerint. Atque sic non vulgus, sed eruditi, modum numerandi decimalem sine circumspectione melioris articuli unicè cultum, ut solum naturalem, hactenus sustinuerunt, artificio numerationis ipsi superstructo, quod vulgus quidem quoad enunciandi formulas & verba secutum est, computandi verò vim in duplo potius & ad summum in triplo semper quæsivit, adeoque reipsâ discessionem ab eruditis faciens per Tetractyn computavit: perinde scil. ut populus Rom. formulas quidem & verba duodecim Tab. ore profectus est, reipsâ tamen æquitati potius, quàm stricto juri, suas actiones ex arbitrio Prætoris attemperavit. *Adeo non semper, quâ vulgus declinat, incongruâ via est.*

Eruditi contra, Tetractyn non advertentes, cum difficultatem decimalem vulgaribus ejusmodi, sed adhuc difformibus, numeris quaternionum calculo simul implexis augeri vidissent, nequaquam de lege decimali tollendâ, sed de vulgaribus his numeris ad decimalem rationem reducendis, consilium inierunt, unde nata *Logistica decimalis*. Alii vulgarem

rem